



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatus
Tres spirituales**

Arias, Francisco

Coloniæ Agrippinæ, 1603

Cap. 7. Impediri studium mortificationis sanctorum quorundam exemplis
perperam intellectis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59574](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59574)

& animi & corporis incolumitatem liberalius promoueat. Neq; id eò dico, quo nos curam conuenientem & necessariam sanitati conseruandæ detrahimus, aut indiscretas mortificationes ad imitationem dictorum Sanctorum suscipiamus, cum eas anè improbauerimus, sed vt notatis his exèplis, vanos commentitiarum infirmitatù timores excutiamus, & desertis victoris extremis, duce & magistra discretionè, ad medium virtutis colligamus.

In hoc
tract. p. 3.
4.

CAPVT. VII.

*De alio mortificationis in p. sementis,
nempe quorundam Sanctorum ex-
emplis malè intels-
lectis.*

QUONIAM tenebrarum princeps capitali odio prosequitur studium sanctæ mortificationis, quippe per quam sua sede & habitatio ne, quæ est terra suauiter viuendum, pellitur: idcirco, sicut alibi sacrarum scripturarum testimonijs, perperam
de artu

Job 28.

IN MORTIF SERVAND. 598

detortis à Catholica fide homines abducere conatur est ita nunc, exemplis quorundā sanctorum malè intellectis imperitos deterrere conatur à studio mortificationis, atq; experiētiadocuit, quosdam extiisse, qui exemplis sanctorū inordinatarum passionum regnum defendere non dubitāint, ut ambitionem, & cupiditatem alijs imperandi exemplo Apostolorum, qui aliquando inter se contenderunt, quis illorum esset maior. Deinde S. Joannis & Jacobi, qui primam sedem in regno Christi affectārant: iracundiā vero, in verba contumeliosa erumpentem exemplo Apostoli Pauli, dicentis ad Pontificem Ananiā. *Percutiat te Deus paves de albate* Et Faustini ac Iovite, qui Imperatorē Adrianū appellārūt serpentē tortuosum, & viperā crudelissimā. Et S. Agathæ virginis & martyris, quæ Quintianū, aliosq; tortores suos vocavit immanes tyrānos. Sic ad tuēdū dissensionū studiū allegant exēplū Pauli & Barnabæ, qui se mutuo separātūr, ob contentionē ortā de assumēdo in sociū Marco. Dein S. Epiphaniij & S. Chrysostomi, qui ob quæstionē de

*Matt 20.
Act. 23.*

*Ado in
martyr. 19.
Feb.*

Act. 15.

*Trip. l. 8.
c. 15.*

con.

condemmandis Origenis libris non solum à se mutuo discesserunt, sed etià Euphrophanius dixit Chrysostomus: spero te non moriturum Episcopum, & hic illi, spero te non peruenturum ad tuam urbem. Adhæc ad defendendâ superbiam, exemplum inculcant, prophetæ summa libertate increpantis regem Achab, & Elisæi regem Ioram, & S. Stephani Principes Sacerdotum. Denique ad retinendam pompam vanâ & profanam, mensarumque delicias producunt exemplum S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, qui multo cum famulorum comitatu in publicum, splendidoque ornatu prodibat, & mensam multis opiparisque ferculis instructam suis apponebat.

His similibusque exemplis animi sui perturbationes, & immoderatos affectus, velut instos & æquos, palliât, & mortificationi omnem aditum occludunt. Quanquam verò hoc argumentum admodum sit imbecille, & illi facile possit, ræmen pro solatio & instructiorum operæ pretiû facturi videantur, si respondeamus, declinamus.

3. Regum.
28.

4. Reg. 3.
Act. 7.

IN MORTIF. SERVAND.

claremus que neque iam allata, neque
vlla alia Sanctorum exēpla facere pro
tutela & patrocinio istarum inordina-
tarum animi passionum. Sanctorum
enim vita prorsus consentit cum pu-
rissima eorum doctrina, & cum om-
nis perfectionis archetypo, nempe
CHRISTI Domini nostri vita. Quocir-
ca in Sanctorum historijs distinguē-
dum est tempus, quo vixerunt, ab eo,
quo non vixere. Nam licet multi à pri-
ma ætate fama sanctitatis fuere cele-
bres, vt S. Hilarion, S. Chrysostomus,
S. Eduardus Cantuariensis Archiepi-
scopus, S. Malachias Archiepiscopus Hi-
berniz, S. Clemēs martyr, & Episcopus
Ancyranus, S. Maclouus, S. Bernardus, S.
Thomas Aquinas, S. Bernardinus, S.
Eduardus rex Angliæ, & S. Ludouicus
rex Franciæ, & alij: nihilominus alij sūt
se, qui in prima adolescentia vitā du-
xere communem, postea autē potēti
Dei manu tacti in alios homines com-
mutati sunt, & vitam egere perfectissi-
mam. Alij verò etiam primam æta-
tem consumpserunt in grauibus sceleri-
bus, sed, radijs diuini luminis exceptis,
ita illustrati sunt, vt ostenderint sibi a-
bun-

101 DE DISCRETIONE

bundare sanctitatem, vbi ante abundat malitia & perversitas. Ac rursu alij exiitère qui omnem ætatem in infidelitatis tenebris vel in gravibus peccatis omni gratia destituti transegerunt, & tamen ad Evangelij voces, aut conspectam Christianorum Martyrum in atrocissimis tormentis constantiã resistuere, & ad mortem pro Christi fide tolerandam se obtulerunt, ac sic nomen & mercedem sanctorum Martyrum breui temporis momento retulerunt.

In his omnibus sanctis, nihil ad auctoritatem exempli trahi potest ex rebus ante adeptam sanctitatem gestis, ac proinde quod de Apostolis obiectu est, nullius est ponderis, idcirco enim Christus saluator ex infimo hominũ statu, & rerum omnium ignaros elegit, ut quicquid postea eorum opera efficeret, non ipsorum, sed Christi virtuti, à quo missi erant, attribueretur. Poterat quidem Christus eos vno momento reddere perfectissimos, sed maluit sensim vsque ad spiritus sancti aduentum proficere, ut suorum lapsuum & defectuum memores, se magis submitterent, totamque sanctitatem

*Chrysostomus
in
Matt.*

IN MORTIF. SERVAND. 802

tatem & perfectionem suā ſyncerè altiffimo trāſcriberent: deinde vthoc exemplo om̄n̄s fideles mai' ſolatiū ca- perēt, claruſq; agnoſcerent omnia bo- na ſibi contigiffe per Chriſtum, & ſi imbecilles ſint ac rudes, Deū ſua gra- tia & benedictione illis non defuturū. Itaq; in Apoſtoliſ eos mores imitan- dos nobis proponere maxime debe- mus, quos poſt adeptū ſpiritus ſancti lumen longè copioſiſſimum, demon- ſtrāunt. defectus verò, quos tempore nouitiatus ſui habuiſſe videntur, non imitari, ſed corrigere, quemadmodū & ipſi in ſe correxerunt

In ſ. Thomæ Cātuarienſis exēplo nō diſſimilis ratio eſt, nam ille in ſancto- rum numerum, præcipuè ratione per ſecutionis & martyrij pro Eccleſiaſtica immunitate fortiter perpeſſi, relatus eſt: itaq; ſi quos n̄a uos ante illud ha- buit in auctoritatem exempli trahi ne- queunt: certè quosdam & ipſe paulò antè mortem, vt ſplendidum habitū cum monaſtico, & lautā menſam cū vulgari, magnumq; ſeruitorum nu- merū cū ſex famulis, licet primarius eſ- ſet regni Archiepiſcopus, cōmutauit,
elicij

607 DE DISCRETIONE

cilicij quoque continua asperitate, & quotidiana corporis vsque ad sanguine non semel repetita diuerberatione, & in perfrigidum profluentem demersione affixit, vt hoc melius ad profundendum pro Christo sanguinem se compararet. Atque hanc vitam duxit, postquam Deus eum potenti sua dextera in alterum virum, & verum athletam suum, posthabitis omnibus seculi vanitatibus, conuertit.

CAPVT VII.

Quomodo intelligenda sint exempla quadam, quibus inest mysterium, vel que speciali Dei institutione accidero.

IN Vitis Sanctorum illud quoque non prætermittendum est, nonnullis eorum factis distincte inesse aliquod mysterium, & idè non ad cõsuetam nõrnam cõmuniõis vitæ Sanctorum cæterorum, sed ad peculiarem diuine inspirationis, prouidentiq; particularis regulam esse expendenda. Quò pertinet, quod s. Paulus Principi

Ad. 23.

Sacer